Divina Favente Gratia

DISPUTATIO JURIDICA FEUDALIS.

DE LAUDAMENTO

quam

Permiſſu Magnifici Jureconſultorum Ordinis in alma Salana

PRÆSIDE

Viro Magnifico, Ampliſsimo, Conſultiſsimo, Excellentiſsimo

DN. ERASMO UNGEPAUER,

JCto & Anteceſſore celebratiſsimo, Conſiliario Saxonico, p.t. Academiæ Rectore & facultatis juridicæ Seniore meritiſſimo, Dicaſterii provincialis ac Scabinatus Aſſeſſore graviſsimo, Præceptore Promotore ac fautore ut magno, ita obſervantiæ cultu ætatem proſequendo,

Publicæ cenſuræ ſubmittet,

VALENTINUS Gruntz Quedlinb. Saxo.

Ad diem Aprilis.

In Auditorio JCtorum.

JENÆ

TYPIS ERNESTI STEINMANNI,

ANNO M DC XL.

VIRO

Ampliſſimo Conſultiſſimo atq; Clariſſimo

DN. CHRISTOPHORO

Beindorff/

JCto ac Quedlinburgenſium Prætori graviſſimo

Dn. Fautori ac Promotori ſuo obſervanter colendo

breve hoc exercitium honoris & commendationis ergò

Dicat dedicat

Auth. & Reſp.

Præfatio.

CUm homines ad diſſentiendum admodum ſint faciles *l.17.§.6 ff.de recept.qui arbitr. recep.* fieri ſolet, ut de minima quavis re controverſiæ, & ex his, ſi amicabilis compoſitio locum habere non poteſt, infinitæ lites oriantur, quod & in feudis inter dominum & vaſallum ſæpe fieri quotidiana teſtis eſt experientia: hinc ſi cauſam ritè peragi volunt, ad exemplum aliorum judiciorum competentem oportet quærant Judicem, qui tanquam baſis & fundamentum eſt judicii Geil. 1. obſ. 42. n. 10. nam extra juris dictionem jus dicenti partes parere non tenentur l.ult. ff. de juriſdict judex a. competens dominus, cum propria cauſa agatur, eſſe non poteſt l.51.ff.de recept. qui arbitr. ſed pares curiæ hoc caſu, quando ſcil. controverſia de feudo inter dominum & vaſallum moveatur, tanquam competentes judicium exercere debent 2. f. 16. & 2.f.55.§ fin. quod judiciũ LAUDAMENTUM vocatur 1.f.19 pr. 1. f. 21 p.1.f.22. in fin. de quo laudamento cum in præſenti placeat agere, ut eò meliꝰ peragatur, è re duco eſſe. 1. actiones tam domino adverſus vaſallum, quam vaſallo adverſum dominum competentes. 2. ipſos judices. 3. modum procedendi paucis delineare.

Th.1. Feudum utriusq; gratia, tam domini, quam vaſalli, conditur: *domini*, ut habeat vaſallum ad ſervitia obligatum, *Vaſalli*, ut gaudeat beneficio eodemq; fruatur *2. f. 23. in fin*: Effectus a. partim in jure, quod utriq; competit, partim in actione conſiſtit. *Actiones*, quæ domino adverſus vaſallum conceduntur, *ſunt vel in perſonam, vel in rem, & quidem de feudo promiſſo vel tradito.* *De feudo promiſſo* competunt actiones pro ratione conventionis, ut ſi vaſallus à domino rem ſuam propriam in feudum recognoſcere, aut domino ſervitia promiſit, *detur condictio ex lege*

Quoties enim obligatio à lege nova introducta eſt, nec cautum eidem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum eſt *l. un ff. de condict. ex leg.* Atqui obligatio illa vaſallitica nova lege, ſive novis moribus (*nam & conſvetudo lex eſt §. 3. Inſt. de J. N. G. &c.*) introducta eſt, nec cautum iisdem moribus quo genere actionis ſit agendum. E. condictione ex lege agendum eſt, *aut ex ſtipulatione*, & tunc cõpetit actio ex ſtipulatu *l. 83 §. 6. ff de V. O. pr. inſt. eod. aut ex teſtamento*, & tunc actio competit ex teſtamento. *Feudo tradito*, in perſonam competit domino condictio cauſa da a cauſa non ſecuta *c. un. de feud. ſine culpa non amitt.* Cauſa enim finem ſignificat, & ob cauſam dari dicitur, quod datur ob finem aliquem, ut feudum datur ob hanc cauſam ſive ob hunc finem vaſallo, ut fideliter ſerviat *c. un. §. fin. in quib. cauſ feud. amitt.* & ob id cauſa non ſecuta i. e. ſi dominus feudi fine non potiatur, ob quem feudum dedit, ut quia vaſallus fideliter ipſi non ſervit, condictio feudi ipſi datur, quæ dicitur condictio cauſa data cauſa non ſecuta, *tot. tot. ff. & C. de condict. ob cauſ. dat.* Si verò dominus malit urgere ſervitia, quam feudum repetere, datur ipſi condictio ex lege. An autem præjudicialis actio domino concedatur adverſus vaſallum, ſi nempe hic neget ſe eſſe domini vaſallum Dd. maximè controvertunt. Lubet a. negativam defendere opinionem.

Th. 2. *Actiones in rem*, quæ Domino competunt, ſunt (1) Directa rei vindicatio, qua ſcilicet dominus rem ſuã, quam vaſallus ſe in feudum accepiſſe dicit, dominus verò negat, petit, ſeu feudum conceſſum ob feloniam, ſeu culpam à vaſallo commiſſam, repetit. *2. f. 2. §. 1. 2. f. 54. 2. f. 55. in pr. ib. callidu &c. tot. tit ff. de rei vindic.* Competunt *deinde* domino, interdicta poſſeſſoria, contra vaſallum, ſervitia præſtare recuſantem, & dominum in ſua poſſeſſione turbantem.

Th. 3. Dantur vaſallo æq; ut domino actiones tam in perſonam, quam in rem, *& quidem de feudo promiſſo, vel etiam tradito. De feudo promiſſo*, pro modo factæ promiſſionis, *uti dictum eſt th. 1 videlicet, vel ex ſtipulatione, vel ex pacto, vel ex emto, vel ex teſtamento &c.* debet enim dominus non minus

quam

quam vaſallus promiſſiones ſuas adimplere. Nec ex nuda ſeudi promisſione jus in re conſtituitur, ſed obligatio tantum perſonalis acquiritur, ex qua promiſſor teneatur, ut vel feudum promiſſum conſtituat, aut ſi nolit, vel non poſſit, intereſſe illius præſtet. Si verò præter promiſſionem etiam facta ſit inveſtitura abuſiva ſeu ceremonialis, i.e. ſi feudi traditio nondum eſt facta, ſed certa ſigna præceſſerunt, cujus effectus eſt, ut dominus teneatur vaſallum in vacuam poſſesſionem mittere *2.f.7.in fin.* poterit vaſallus uti actione ex moribus, quæ à Dd. alias actio ex lege vocatur. Quod ſi feudum fuerit traditum & poſtea evictum, i.e. ſi res in feudum data fuerit aliena, & à vero domino, vel cui obligata erat, per judicium ablata *l. evicta revendita §. 1. de evict.* poterit dominum convenire ut aliud bonitatis ſeu quantitatis ejusdem, quo fuit tempore rei judicatæ, præſtet *2.f. 8. pr. c. un. ſi de feud. vaſal. ab aliq. interp. fuer.* præſtatur etiam ultra id vaſallo omne intereſſe & meliorationes factas. Sed ut vaſallus de evictione agat, requiritur (1) ut fuerit ignorans rem alienam fuiſſe, ſed quoad dominum nihil intereſt, ſciverit illud vel ignoraverit *d. pr. 2.f.8.* (2) ut autorem ſuum laudaverit, *i.e.* litem motam domino, à quo cauſam habet, tempeſtivè denunciaverit, ut ſe defenderet *2.f.25.* nec intereſt totum feudum ſive pars aliqua evicta ſit, utroq; enim modo dominus tenetur *l.76.ff.de R.V.& FF.in c. un. 2. f.38.*

Th. 4. *In rem* poterit vaſallus inſtituere, utilem rei vindicationem, *2.f 8.ib.* rei a.&c. quæ in effectu idem valet quod directa *l. 47.ff. de negot.geſt.* item vaſallo contra dominum tribuitur actio confeſſoria & negatoria ob ſervitutes feudo competentes vel non competentes, Interdicta quoq; tam adipiſcendæ quam retinendæ ac recuperandæ poſſeſſionis vaſallo competunt adverſus dominum. *Et demum* cum inter dominum & vaſallum mutua fides requiratur *2.f. 6.* hanc ſi frangat dominus, vaſallo contra ipſum competit condictio ex lege, quâ ſe ab officio & obſequio, ad quod feudi nomine tenebatur, immunem declarari petit, & ita

 pro-

proprietatem accipit *2.f.26.§.domino committente &c.* Et hæc de actionibus dixiſſe ſufficiat, ſequuntur nunc perſonæ judicantes.

Th. 5. Perſonæ quæ laudamentum faciun,tvocantur pares curiæ,dicti à paritate fidelitatis, & quod pares ſint in eo, quod ipſorum feuda unius domini territorio & curiæ ſubſint,alio nomine dicuntur convaſalli. Quoties igitur de ſeudo regali aut non regali, vel de inveſtitura inter dominum & vaſallum, ſive unum ſive plures lis oritur, & dominus vel ſit actor, vel reus, pares curiæ ſeu convaſalli competentes ſunt judices *2.f.16.2.f 55.in fin.* nec refert(1)pares curiæ ſint homines privati nullam jurisdictionē habentes, & dominus vaſallusve ſit magiſtratus,(2)an domin9 ſuperiorem recognoſcat necne.adeò,ut nec Imperator excludatur,quin ſi controverſia ipſi ſit cum vaſallo,pares ſint judices *c. un. §. ſententiæ quoq; 1.verſ. ſi qua controverſia fuerit orta de feudo de pace conſtant.* (3)pares curiæ ſint laici,& dominus vel vaſallus clerici, & viceverſa.(4) dominus vel vaſallus ſit perſona particularis vel univerſitas vel collegium.(5) dominus vel vaſallus,ſit perſona privilegiata, nec hoc caſu ſtudioſi gaudent beneficio Authent.habita C.ne filius pro patre. (6) feudum ſit proprium an improprium, novum vel antiquum, ligium vel non ligium,majus vel parvum (7) lis oriatur de ſervitiis, tributo, collectis aut ſimilibus oneribus ratione feudi præſtandis &c.*de quibus fuſius videri poterit Schrad.part.10 ſect. 5.*

Th. 6. Quod a pares curiæ ſint judices inter dominum & vaſallum fallit, in multis caſibus. (1)quando litigantes in alium judicem conſentiunt,& alterius jurisdictionem prorogant.(2)Si dominus & vaſallus litigantes inter ſe in arbitrum compromittunt.(3)Si cauſa eſt criminalis vel criminaliter inſtituta,nam tunc cognitio ad ordinarium judicem ſpectat.(4) Fallit, ſi agatur de feudo conſtituendo,revera enim actio inſtitui dici non poteſt, cum per promiſſionem feudum non conſtituatur,ſed per inveſtituram *c.1.quib.mod. feud.conſtit.*(5)Si pares curiæ ſint ſuſpecti. (6)Si dominus nullos habet pares curiæ quam vaſallum cum quo ipſi lis eſt

2.

2.f.16.(7)Si pares curiæ in eadem cauſa debeant eſſe teſtes, & quidem omnes, vel tot, ut reliquus numerus non ſufficiat, veluti ſi unus tantum ſuperſit. (8) fallit in paribus, qui fidelitatem non jurarunt. (9) fallit ſi principaliter de feudo contentio non exiſtat, ſed potius de re allodiali, ut nec jure reconventionis alia cauſa quam feudalis apud pares curiæ ventilari poſſit.

Th. 7. Judicat a. tota curia ſive pares omnes, niſi domino & vaſallo litigantibus aliter placeat, nam tunc eligendi ſunt pares tam à domino quam à vaſallo, nec alterutri horum electio committenda eſt, cum ſine dubio eos eſſet electurus judices, quorum favorabili ſententia victoriâ potiturum facilè ſperaret, & conſvetudine hoc introduci non poſſe, ut unus eligat, Dd. ſtatuunt. In eligendo prior locus relinquitur domino, ut eligat, quos & quot modo velit, deinde eligit vaſallus, ita tamen, ut utrinq; par ſit numerus *2.f.16.* Si verò alter horum eligere recuſaverit, aut eligere tergiverſetur, poterit illud ab altero ſolo expediri, nam tunc facultas duobus regulariter conceſſa, propter contumaciam unius ad alterum ſolum devolvitur *per text. in l. 22. §. à duobus. 1. ff. de fidei commiſſ. libert.* Nec paribus electis liberum eſt, an velint judicare nec ne, ſed ſi recuſant, ut judicandi munus in ſe recipiant, ad hoc cogi poſſunt, vel per dominum, vel, ſi per ipſum fieri non poteſt, per ordinarium & loci ſuperiorem. Ut a. legitimè hoc munus ſubire valeant, non opus eſt novo juramento, ſed ſufficit ſi ſemel juramentum fidelitatis præſtiterunt *2.f.16. in fin.* quia non præſumuntur aliquid domino detracturi, cui fidelitate obſtricti ſunt, nec vaſallo conſorti, cum ſibi tantundem periculi impendere prævideant, & inſuper moribus Germaniæ convenire teſtantur Dd, ut in juramento fidelitatis diſertè id contineatur, quod rectè & rite juſtitiam adminiſtrare velint. An illud obtineat, quod à majori parte parium actum geſtumve eſt, non eſt expeditum: diſtingvendo tamen affirmare conabor. Et hoc de judicibus primæ inſtantiæ: judex appellationis èſt proximus ſuperior feudi judex, qui ſi non ſit, ad ordinarium ſeu ſuperiorem loci provocatio dirigitur *1.f.22. in fin.*

Th.

Th. 8. Electis nunc ac conſtitutis judicibus, reſtat, ut de proceſſu agatur: cum enim judicum officium ſit, cauſam litis cognoſcere & dijudicare, & partes quoad fieri poteſt, reconciliare, ſiquidem Reipublicæ intereſt, ut lites diminuantur *l. quidam exiſtimarunt in fin. ff. ſi cert. petat.* illud a. absq; modo & ordine procedendi commodè fieri vix poſſit, illius diſpoſitione opus eſt. Modus a. procedendi hic idem obſervatur, qui de jure civili uſitatus eſt, niſi quædam jure feudorum aut viva ejus ratione reperiantur ſpecialiter conſtituta & determinata, quæ tunc ſunt attendenda, juxta illud vulgatum, quod habetur *2. f. 1. verſ. ſtrenuus.* Hinc requiſita de jure civili uſitata hic quoq; obſervantur, ut eſt primò in jus vocatio, ubi citatus de jure civili etiam apud incompetentem judicem comparare, & de ipſius incompetentia excipere debet *l. 3. & 5. ff. de judic.* quod & in jure feudali procedere autumo cum expreſſè non reperiatur exceptum. *In hoc actum jus feudale à jure civili recedit*, quod in hoc pro tribus unica citatio ſufficiat ſc. peremptoria, cui, qui non obtemperat, verè contumax eſt. *68. & 72. ff. de judic. & ib. Gotofr.* in illo terna reqiritur citatio interpoſito ſpatio, ſeptem vel decem plerumq; dierum *2. f 22.* Et ſi vaſallus dominum in jus vocare vult, an prius veniam impetret controverſi eſt juris? puto non opus eſſe, ſi quidem nec impetrat dominus vaſallū in jus vocans, cum tamen in omnibus vicem fideli ſuo reddere debeat *2. f. 6. in fin.* Deinde & de jure civili & feudali actio edi ſeu libellus offerri debet, uti etiam lis debito modo conteſtari, *adeò* ut omiſſâ litis conteſtationē proceſſus annuletur, cum ſit baſis & fundamentum ac lapis angularis judicii *Marant. in ſpec. p. 6. tit. de litis conteſtat.* & judicium plane nullum eſſe intelligatur, nam & res ſine ea in judicium deducta non cenſentur *l. un. pr. C. de litis conteſtat. c. ſuper. quæſt. §. 1. c. de cauſis de off. delegat.* ideoq; rectè dicitur Initium litis & judicii, quia ante litis conteſtationem non videtur quis propriè litigare vel agere, ſed litigare vel agere velle *l. āplig rē rat. c. ex parte de V. S. Geil. 1. obſ. 74. n. 2.* Reus quoq; corā paribus curiæ cōtra actorē reconventionem inſtituere poteſt, cum per-

in-

loiquum ſit, non eſſe mihi cum illo actionem ſi nolit, illi verò ſi velit, mecum eſſe *l 3. §. ult ff. mandat.* modo fiat de re feudali, alias non poteſt reconventionem inſtituere, propter defectum jurisdictionis & qualitatem cauſæ, non enim ſufficit, ut pares curiæ judicent, eſſe contentionem inter dominum & vaſallum, ſed ut ſit de re feudali *2 f. 16.* *Hoc iterum jus feudale ſingulare habet à civili*, ut cum de jure civili juramentum calumniæ ab adverſario exigere cuiquam litigantium liberum ſit *l. jusjurandum 34. § 4. ff. de jurejur. & tot. tit. C. de juram. propt. calumn.* Jure feudali non item, ſiquidem vaſallus à domino illud exigere nullo modo debet, ob reverentiam & obſervantiam domino debitam, deducto arg. a liberto ad vaſallum, nec vice verſa dominus à vaſallo exigere debet *2. f. 33. §. 1.* cum nemo id juris in alium ſtatuere debeat, quo ipſe non utitur *l. 3. ff quod quisq; juris.* Si verò dominus vel vaſallus juramentum hoc ſponte ſua præſtare paratus ſit, non obſtat, quo minus ad id admittatur ſiquidem juri ſuo quilibet renunciare poterit, alteri tamen exinde non præjudicat, nec neceſſitatatem jurandi imponit.

Th. 9. Et cum in omnibus cauſis dubia ſemper proponantur, de quibus antequam certa ferri poſſit ſententia, probatio exigitur *Petr. Greg. Tholoſ. in ſyntagm. jur. Pontif libr. 5. tit. 10. c. 1.* neceſſarium erit ut de probationibus cauſarum feudalium agam, in quibus teſte Rittershuſio maxima eſt difficultas & ſingularitas, nam ſi ulla in re differunt judicia feudalia ab aliis communibus, in his certè vel maxime. Differunt non tantum quoad genera probationum, verum etiam quoad perſonas, quæ probare debent. *Probatio autem aut eſt* plena ſeu vera aut ſemiplena ſeu præſumpta.

Th. 10. *Plena ſeu vera probatio eſt*, quando judex per ea quæ coram ſe ſunt acta ad fidem & credulitatem ejus quod intenditur adductus eſt, aut quæ tantam fidem facit judici, quanta ad finiendam litem & controverſiam ſatis eſt. Hujus generis ſunt inſtrumenta & teſtes. Circa inſtrumentum (*quod etiam in jure feudali breve teſtatum appellatur 1. f. 4. in pr. & §. item ſi vaſallus 3.*) ſpecialiter obſervandum eſt, quod

B con-

conſiſtat in ſubſcriptione trium vel duorum parium curiæ, ſi de feudo vel ejus qualitate agatur, aliàs nullam vim habet *c. 1 quid ſit inveſtit. c. 1. qui teſt. ſint neceſſ.* Oportet autem originale ipſius inſtrumenti producatur, quia exemplis ſeu copiis non creditur *2. ff. de fide inſtr. l. 8. ff. fam. erciſc.* niſi publica manu & juſſu judicis conſcriptum fuerit, cum videlicet antiquum inſtrumentum periclitaretur, ne deficeret paulatim vetuſtate & tunc eandem vim habet *c. ult. extr. de fide inſtr.*

Th. 11. *Circa teſtes obſervanda Qualitas Sexus & Numerus, Quoad qualitatē* diſcrepat quoq; à jure civili, ſiquidem in hoc quilibet, etiam extranei ad teſtimonium dicendum admittuntur, dūmodo ſint idonei & omni exceptione majores *tit. ff. de except.* In feudis quoad inveſtituram feudi novi non item, ſed regulariter ſint pares curiæ ſeu convaſalli *1. f. 10. 2. f. 32. in pr. ratio hæc datur*, quia hi optimè ſciunt res ſuorum convaſallorum, utpote qui horum inveſtituræ ſemper adhibentur, niſi in caſibus quibusdam exceptis, & quia ſæpe inter dominum & convaſallos arcana tranctantur, quæ non expedit paſſim divulgari, nec ſuſpicandum eſt in his, quod odio vel gratia vel pecunia corrumpantur *2. f. 58. §. item ſciendum eſt in fin.* Sciendum quoq; eſt, quod à teſtimonio dicendo non excludatur qui vaſallus eſſe deſiit, modò tempore inveſtituræ fuerit ex paribus. Ratione Sexus obſervandum eſt, quod de jure civili mulieres ad teſtimonium perhibendum regulariter teſtes eſſe poſſint: de jure feudali non admittuntur, ſed omnes debent eſſe mares *2. f. 32. in fin. Quoad numerum?* Diſtingvendum eſt, aut quæritur an inveſtitura ſit facta, aut an felonia commiſſa: ibi duo ſufficiunt pares, vel ſi pares abſunt, alii duo idonei teſtes *1. f. 26. §. 1.* hic verò præciſe teſtes quinq; integræ opinionis requiruntur *2. f. 57.* & hoc propter majus periculum, ubi ſemper cautius eſt agendum

Th. 12. Sunt & alia, quæ quidem fidem faciunt rei ante dubiæ, ſed propriè probationis ſpecies iſtæ non ſunt; quia potius, ut alii loquuntur, ab onere probandi relevant, quam rem directò probent, ut eſt, Notorietas, Ocularis inſpectio, Confeſſio, & demum jusjurandum: *Et his quoq*

du-

diſcrepat jus feudale à jure civili, ſiquidem in hoc actore non probante reus abſolvitur *l.4.C.de edend.* in illo vero non, ſed datur ipſi purgatio canonica ſeu defenſio juratoria cum 12. ſacramentalibus, quæ ſucceſſit in locum illius vulgaris purgationis, quæ fiebat per flammam, per crucem, per ferrum candens, puta vomeres ignitos aut chirotecas ferreas candentes, per aquam ferventem vel etiam congélidam, per ſortes, per corpus & ſangvinem domini ſive ſacram hoſtiam, per pugnam Græcis monomachiam ſeu duellum, de quibus vid. Hotom. diſp. Feud. c. 44. & ſq. Dicuntur autem ſacramentales conjuratores & compurgantes teſtes, à ſacramento ſeu juramento, nam ſacramentum non ſolum de jure civili ſed etiam feudali ſæpius pro juramento ſumitur *2 f.25. in fin.* & horum munus erat, ut cum principali de ſua credulitate & conſcientia jurarent *per text. 2 f 33. in pr.* Inter duodecim ſacramentales debent eſſe ſex parentes i. e. cognati jurantis *2. f. 33. pr. & hoc forſan ideò*, quia facilius & melius ſcire creduntur res cognatorum quam extranei *l. 9. ff. unde cogn. l. 7. C. de in integr. reſt* cæteri ſacramentales extranei. Sed notandum, quod domini conditio in hoc quodammodo melior ſit, dum non præciſè 6. parentes ſacramentales adhibere cogitur, ſed ſufficit, ſi juret adhibitis *12.* ſacramentalibus partim vaſallis, partim cognatis, aut 12. tantum vaſallis, aut extraneis mixtis parentibus vel vaſallis *2. f. 33. pr.*

Th. 13. *Probatio non propria ſeu ſemiplena* dicitur præſumptio, veluti ſi quæratur, an feudum potius in dubio præſumatur antiquum vel novum, proprium an improprium, ex pacto & providentia quam hereditarium, an res potius allodialis quam feudalis ſit &c.

Th. 14. Reliqua ad judicium hocce ſpectantia in omnibus ferè ſunt conſentanea juri civili, ut judex cauſa cognita ſententiam ferat, eaq; niſi appellatio interveniat, tranſeat in rem judicatam, & executioni mandetur.

Sit gloria divinæ majeſtati.

Ad-

1 Imperatorem legibus vivere oportet.

2 Etiamſi familia Auſtriaca duodecim vel ut alii volunt quatuordecim vel novem nobis dederit Imperatores, non tamen obſtat quin adhuc Imperator eligi non ſuccedere debeat.

3 Is qui ex Electoribus in Imperatorem eligitur, ſibi ipſi votum dare poteſt.

Per eximio DN. Reſpondenti, Authori hujus disputationis, Amico ſuo fraternitus adamando & honorando.

DUm LAUDAMENTUM, GRUNTZI, tractare laboras
Perdocto calamo, Semina laudis habes,
Gratulor ex animis: auſu inſiſtere tantũ
Pergito; plus tribuet, Juridicina, tibi.

Boni ominis ergò de-
properabat
Godofredus Scheffer.

F I N I S.

ROMA ... EMANUELE